

significasse subdiaconum, cui, ut Morinus ipse advertit part. 3. Exercit. 14. c. 1. n. 6. *Græci ea prope omnia officia, quæ Acolythi suis Latini tribuunt.* Quod ergo Joannes Pontifex probans Synodi VIII. canonem, ordines proprio nomine non distinguat, ratio est, quia acolythatus et ostiariatus simul cum hypodiaconatu conferuntur a Græcis, neque Pontifex exigit sejunctas ac distinctas initiationes; quas tamen a Græcis aliis Latinorum ditioni subjectis seculo XIII. servandas præcipit Innocentius IV. Porro exorcistatum a recentioribus neglectum fatemur; ab aliis tamen Orientalibus tribui solitum constat ex Gabriele Philadelphiensi supra relato.

60. *Inst. 2.* Ostiarii, Exorcistæ, et Acolythi, qui a vetustis illis scriptoribus memorantur, non sunt veri, ac proprie dicti ordines, ex aliqua scilicet vera *ordinatione*, sed officia quædam ex *commissione* in templis exerceri solita absque peculiari initiatione: patet ex eo, quod in laudatis scriptorum istorum testimoniis aliquis ex receptis ab Ecclesia Romana ordinibus prætermittatur, aliquis insuper addatur; ergo.

R. N. *Ant.* Nam quod ad *Ostiarium* attinet, is in canone Trullano 4. (Lab. t. 6. p. 1144. C.) aperte secernitur a laico, et in ordine Ecclesiastico constituitur. Hoc enim canone statuitur, ut, si quis Episcopus, vel Presbyter, vel Diaconus, vel Subdiaconus, vel Lector, vel *Ostiarius* mulieri Deo dicatæ vitium attulerit, deponatur; *sin autem laicus, segregetur.* Exorcistam vero peculiari ordinatione non minus, ac lectorem et hypodiaconum apud Græcos initiari, apertum est ex can. 10. Synodi Antiochenæ an. 341. (Lab. t. 2. p. 366. D.) ubi Chorepiscopis permittitur, ut *ordinent Lectores et Subdiaconos, et Exorcistas.* Denique *Acolythi* ordinationem *Χειροθεσίαν* appellat Simeon Thessalonicens. L. de sacris ordinat. cap. 1. apud Morinum part. 2. pag. 129. Quid præter impositionem manuum, et verborum formam, quæ pariter in græca ordinatione Acolythi reperitur, ultra ad ordinem proprie dictum exigas? quid aliud præcipiunt Græcorum Euchologia in ordinatione Lectoris? Queritur præterea Simeon Thessalonic. hanc *Ceroferi* ordinationem sua ætate cessasse, quæ tamen, ut ait, *vigebat ante paucum tempus in Thessalonicensi Ecclesia, et in antiquis formulariis describitur.* Atqui munus deferendi cereos in Ecclesiis Græcorum nunquam fuit abolitum: igitur ægrefert Simeon ritum *ordinationis* fuisse neglectum. Cæterum ex quo scriptores Græci non omnes distincte ordines recensent, minime sequitur, eos, qui alicubi prætermittuntur, ex ordinum numero esse expungendos; neque enim necesse est, ut, ubicumque de ordinibus sermo est, singillatim omnes enumerentur, quod et adversarii de ordinationibus Latinorum fateri debent.

ARTICULUS III.

DE QUATUOR ORDINIBUS MINORIBUS.

61. *Nota I.* Ordines distinguuntur in *maiores et sacros*, hoc est, per quos datur jus propius ad altare accedendi, sacra peragendi, aut presbyteris rem divinam peragentibus proxime assistendi; et in *minores* seu non sacros, id est, qui non ita prope ad Eucharistiam accedunt. *Ordo dicitur sacer*, inquit

S. THOMAS in 4. Dist. 24. q. 2. a. 1. q. 3. *qui habet aliquem actum circa rem aliquam consecratam: et sic sunt tantum tres ordines sacri, scilicet sacerdos et diaconus, qui habent actum circa corpus Christi et sanguinem consecratum, et subdiaconus, qui habet actum circa vasa consecrata: et ideo etiam eis continentia indicitur, ut sancti et mundi sint, qui sancta tractant.* Quatuor igitur sunt minores ordines, Ostiariatus, Lectoratus, Exorcistatus et Acolythatus. De quibus hic agere instituimus.

62. *Nota II.* *Ostiarii* munus est aperire et claudere templorum fores, res, quæ in Ecclesiis servantur, custodire, arcere infideles et excommunicatos, vel ausu quodam templum ingressos ejicere, præsertim dum sacra celebrantur, et juxta Pontificale Romanum, aperire librum ei, qui prædicat. *Lectoris* officium est legere clara distinctaque voce libros novi veterisque Testamenti, cantare lectiones, benedicere panem ac novos terræ fructus. Nonnulli dixere, huic ordini alligatum olim fuisse ministerium concionandi, eo quod in Pontificali Rom. habeatur, *Lectorem oportere legere ea, quæ prædicat, et lectiones cantare.* At *prædicare* hic aliud nihil sonat, quam alta claraque voce e suggestu publice legere, nisi fortasse hujusmodi prædicatio ad rudimenta fidei, quæ aliis explicet, revocetur; hoc enim ad Lectorem spectare asserit Catechismus Rom. de Sacram. Ord. n. 16. *Exorcistæ* præcipuum munus est ejicere daemones ex obsessis corporibus: fundit præterea aquam in baptismi ministerio, monetque, ut, qui sacram synaxin non sumunt, cæteris sumpturis locum cedant. Ad *Acolythos* denique (quorum nomen idem sonat ac *pedissequus* a verbo *ἀκολουθεῖω*, sequor) pertinet ceroferarium ferre, luminaria Ecclesiæ accendere, et aquam ad Eucharistiam ministrare. Videatur Pontificale Romanum.

At difficilior restat controversia, an minores ordines sint sacramenta proprie dicta. Negant cum nonnullis veteribus complures recentiores: Morinus part. 3. Exercit. 11., Juenin. q. 7. c. 1., Lud. Habert. part. 1. de Ord. c. 6., Tournely q. 6. art. 5., Witassius q. 3. art. 1. aliique ex Sorbonicis. Affirmant cum S. Thoma Thomistæ fere omnes, cum Scoto Scotistæ. Idem sentiunt Paludanus, Richardus, Victoria, Sylvius, et veteres Scholastici omnes, perpaucis exceptis, ex recentioribus vero gravissimi quique, ut testatur Bellarminus, qui et ipse sententiæ affirmanti subscribit, sic tamen, ut eam intra probabilitatis fines contineri fateatur.

63. *Dico I.* Probabilis est sententia negans quatuor minores ordines esse sacramenta.

Argumentum I. hujus opinionis est, quod nullus ex antiquis asserat, eos ordines esse institutionis divinæ. Non igitur assurgunt ad dignitatem sacramenti.

Argum. II. URBANUS Papa II. in concilio Beneventano apud Yvonem Carnotensem Decreti part. 3. cap. 72. inquit: *Ordines sacros dicimus Diaconatum et Presbyteratum. Hos si quidem solos primitiva legitur Ecclesia habuisse: super his solis præceptum apostolicum habemus.* Ergo.

Argum. III. Minores ordines nec semper iidem nec eodem numero habiti sunt: nonnulli enim extitere olim, qui jam plane desierunt, ut Psalmistarum, etc. Ecclesia autem græca nullum ordinem inferiorem præter Lecto-

ratum agnoscit. At Græci tres ordines non prætermisissent certe, si eos ad dignitatem sacramenti a Christo evectos existimassent; ergo.

Argum. IV. Minorum ordinum officia sunt ejusmodi, ut iis etiam laici licite perfungi possint. Non igitur eisdem inesse sacramenti ratio videtur.

Argum. V. Cæteri ordines non alia de causa sacerdotio et diaconatu videntur adjecti, nisi ut ad sacerdotium digniores tantum et adulti, posthabitis tironibus et neophytis, promoverentur, et ut ad sacerdotialem gradum productior esset ascensus. Aliam rationem indicat AMALARIUS L. 2. de officiis Ecclesiasticis c. 6. (Bibl. mag. PP. t. 10. p. 380. A.). Postquam asseruit duos esse in Ecclesia ordines necessarios, quos S. Paulus appellavit, presbyterorum nempe et diaconorum, addit: *cæteri ordines his adjecti sunt. Crescente Ecclesia, crevit officium ecclesiasticum: ut multitudini Ecclesie subveniri posset, adjiuntur inferiores in adiutorio Præpositorum.* Deinde laudat in eundem sensum, auctoritatem S. Ambrosii, vel potius Ambrosiastri, in Tractatu de epist. ad Timoth. 2^a. Ergo ordines isti ad Ecclesiasticam disciplinam, non ad Christi institutionem referendi sunt. Hæc aliaque momenta profert MORINUS, queis e sacramentorum numero etiam subdiaconatus expungitur. Nihilominus

64. *Dico II.* Probabilior videtur sententia affirmans, minores ordines esse sacramenta proprie dicta.

Prob. I. Ex Concilio FLORENTINO, quod in Decreto super unionem Armenorum sic habet: *Sextum sacramentum est ordinis, cujus materia est illud, per cujus traditionem confertur ordo, sicut presbyteratus traditur per calicem cum vino et patenæ cum pane porrectionem: diaconatus vero per libri Evangeliorum dationem; subdiaconatus vero per calicem vacuam cum patena vacua superposita traditionem: et similiter de aliis per rerum ad ministeria sua pertinentium assignationem. Forma sacerdotii talis est: accipe potestatem offerendi sacrificium in Ecclesia pro vivis et mortuis in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti, et sic de aliorum ordinum formis. Ordinarius minister hujus sacramenti est Episcopus: effectus augmentum gratiæ, ut quis sit idoneus minister.* Hucusque Decretum: ubi Armenis principio traditur, sextum sacramentum esse sacramentum ordinis. Deinde recensitis rebus, quibus apud Latinos conferuntur majores ordines, subjicitur: *et similiter de aliis: definita pariter ordinationis forma, qua sacerdotii ordo confertur, subjungit Concilium: et sic de aliorum ordinum formis.* Videtur itaque sub generali appellatione *ordinis* et quidem *sacramenti*, non majores tantum, sed et minores ordines complecti.

Respondent prioris sententiæ patroni, materiæ sacramenti ordinis exemplum in sacerdotio duntaxat et diaconatu a Concilio reponi, et ex data occasione subjici materiam subdiaconatus, atque indicari materiam minorum ordinum; minime vero statui, quemcumque ordinem esse sacramentum; cum ad Synodi propositum sufficiat, quod vel una ex ordinationibus, quarum materiam assignat, sit sacramentum. Valeret, fateor, hæc responsio, si, quæ hic debet, dispar ratio eaque efficax afferri posset, cur Florentinum exemplum de *sacramenti* ordinis materia in presbyteratu et diaconatu, non item in reliquis ordinibus ponat. Certe vox *similiter*, qua utitur Decretum, haud obscure sacramenti rationem utrobique denotat; præsertim cum deter-

minatio una, quæ ad plura determinabilia refertur, ea pari eodemque modo determinet.

Prob. II. Concilium TRID. postquam Sess. 23. can. 2. definiverat, *præter sacerdotium esse in Ecclesia Catholica alios ordines majores et minores, sequenti canone citra ullam restrictionem statuit, sacram ordinationem esse vere et proprie sacramentum a Christo Domino institutum.* Et can. 6. definit in Ecclesia esse Hierarchiam *divina ordinatione institutam, quæ constat ex Episcopis, Presbyteris et Ministris: ministrorum nomine intelligens omnes reliquos ordines, quos cap. 2. diserte nominaverat.* Ergo præter sacerdotium et diaconatum cæteri quoque ordines divina sunt ordinatione instituti, ac proinde veri sacramenti rationem habent.

Tametsi igitur concedamus, quod aiunt adversarii, noluisse hac de re quidquam definire Tridentinum, utpote coactum ad extirpandos errores Novatorum, negantium sacramentum ordinis, et septem hujus gradus deridentium, quod et PALLAVICINUS L. 21. cap. 13. fatetur: manifestum tamen est, Tridentinos Patres in eam, quæ cæteris ordinibus sacramenti proprietatem tribuit, sententiam propendisse.

Prob. III. Ordines etiam inferiores imprimunt characterem sacramentalem. Affirmat hoc S. THOMAS q. 35. Suppl. a. 2. probatque ex eo, quod hi ordines nunquam iterentur, iisdemque clerici *constituantur supra plebem in aliquo gradu potestatis spiritualis ordinatæ ad dispensationem sacramentorum*, ad quod requiritur *signum distinctivum ab aliis.* Suffragatur Pontificale Romanum, in quo Tit. *de Ordinibus conferendis*, Episcopus in omnibus ordinationibus jubetur monere ordinandos, *quod instrumenta, quibus character imprimitur, tangant.*

Reponunt, qui tuentur oppositum, etiam primam tonsuram repeti nequaquam posse, nec tamen ea characterem imprimi. Idem itaque dicendum de subdiaconatu et minoribus ordinibus, qui si iterari non possunt, ideo fit, quod Deo semel consecrata, semper consecrata maneant, ut in altarium quoque et Ecclesiarum consecratione patet. Verum videntur hæc argumentum adeo non diluere, ut corroborent magis. Ipse enim Morinus, a quo opinionis suæ momenta ferme omnia reliqui mutuantur, part. 3. Exercit. 15. c. 4. n. 12. affirmat, *tonsuram omnibus sacrorum ordinum candidatis separatim, et ante quemvis ordinem olim collatam fuisse.* Ut igitur modo non iteretur, sola Ecclesiæ consuetudo facit. Deinde quemadmodum templorum consecratio non repetitur, eo quod chrisma consecrationem tribuat permanentem; ita haud alia de causa non iteratur ordinationis, nisi quia signum aliquod indelebile imprimit, ut infert S. THOMAS: et merito quidem; nam et ex eo quod compertum nobis sit, Baptismum et Confirmationem iterari non posse, recte colligimus, id provenire ex permanente quodam effectui, scilicet characteri.

Prob. IV. Quidquid ad sacramenti constitutionem requiritur ac desiderari potest, id omne in collatione inferiorum ordinum reperitur. Primum enim habetur symbolum externum, situm in materia et forma, non qualibuscumque, sed quæ expriment potestatem ministerii in ordine ad mysterium Eucharistiæ. Deinde nec deest divina institutio, ut ex Tridentino docuimus. Demum ex eodem effectus gratiæ exteriori ritui annexæ ostenditur. Nam Sess. 23. c. 3. generatim docet, *per sacram ordinationem, quæ verbis*

et signis exterioribus perficitur, gratiam conferri. Accedit, quod unus sacramenti effectus, cujusmodi est character, ab alio, qui est gratiæ, ubi suscipientis non deest dispositio, sejunctus esse nequeat.

Hæc argumenta, tametsi demonstrationis vi non polleant; plus tamen habere ponderis, quam oppositæ sententiæ momenta videntur. Quare si quis assertionem hanc posteriorem tueri velit; ad rationes prioris sic respondere poterit.

Ad 1^{um}. R. N. Ant. Ordines enim inferiores a Christo institutos fuisse, inde magna probabilitate conficitur, quod Concilia Patresque antiquissimi eorum mentionem faciant, Concilium vero Tridentinum definiat, *uniuscujusque eorum propria ministeria ab ipso Ecclesiæ initio in usu fuisse*, nec ostendi possit, quando primo in Ecclesiam fuerint inveci; tametsi non semper per omnes gradus seorsim susceptos, initiati ad Sacerdotium ascenderint. Nam, ut ait S. Thomas in 4. dist. 24. q. 1. a. 1. *in primitiva Ecclesia propter paucitatem ministrorum omnia inferiora ministeria diaconis committebantur... Nihilominus erant omnes prædictæ potestates, sed implicite in una diaconi potestate, sed postea ampliatus est cultus divinus; et Ecclesia, quod implicite habebat in uno, explicite tradidit in diversis.* Unde

Ad 2^{um}. R. N. Conseq. Dici enim percommode potest, *collationem* subdiaconatus atque minorum ordinum relictam fuisse Ecclesiæ dispositioni et arbitrio, et idcirco URBANUM asserere, quod de his *præceptum Apostolicum* non habeamus; non autem, quasi illorum ordinum institutio a Christo non proficiscatur.

Ad 3^{um}. R. D. Ant. Minores ordines nec semper iidem, nec eodem numero habiti sunt *explicite C. implicite*, ut loquitur S. Thomas N. Constat ex dictis art. 2. ubi, quæ de psalmistarum aliorumque officii dudum desuetis objiciuntur, disjuncta pariter contritaque leguntur. Illud hic addimus sedulo observandum, nempe Concilium Carthaginense IV. (Lab. t. 2. p. 1200.) cum a canone secundo ad nonum usque de singulis ordinibus pertractat, semper uti vocabulo *ordinationis*; *Diaconus cum ordinatur, Subdiaconus cum ordinatur, Acolythus cum ordinatur*, et sic de cæteris: at cum can. 10. et 11. de psalmista et consecratione sanctimonialis agit, ab *ordinationis* nomine prorsus abstinere. Quid ita? quoniam voci *ordinationis* non cujusvis ministerii aut ritus, sed rei cujusdam augustioris, veri scilicet ordinis ac sacramenti significationem subesse existimavit.

Ad 4^{um}. R. N. Cons. Quamvis enim minorum ordinum ministeria laici quandoque, ob clericorum defectum aut negligentiam, licite exerceant; hoc tamen non faciunt ex officio, et suscepta potestate. Hanc responsionem adhibet S. Thomas q. 37. Suppl. a. 4. ad 9. eamque hoc exemplo illustrat: *sicut, ait, in domo non consecrata potest dici Missa, quamvis consecratio Ecclesiæ ad hoc ordinetur, ut in ea Missa dicatur.*

Ad 5^{um}. R. N. Ant. Nam ex c. *Sollicitudo*, Dist. 3. sive ex rescripto Alexandri II. ad episcopum Constantiensem, ordinatus in diaconum et presbyterum, *subdiaconatus ordine postposito*, tenetur subdiaconatum ipsum suscipere: ideoque non in gratiam tironum minores ordines sunt instituti. Ne vero neophyti ad sacerdotii honorem obreperent; definitum inter unum et alterum ordinem ab Ecclesia fuit aliquod temporis intervallum, non

autem instituti ordines aliqui, qui ab exordio Ecclesiæ minime extiterint. Quamvis igitur, ut scribit S. LEO Magnus epist. ad ANASTASIUM Thessalonicensem 6^a. (al. 4^a.), *qui sacerdos et Levita ordinandus est, per omnes clericalis officii ordines provehatur, ut diuturno discat tempore, cujus et doctor ipse futurus est; non alium tamen in finem, quam ad Eucharistiæ consecrationem, decentemque ejus tractationem septem ordines sunt instituti*, ut q. cit. a. 2. scribit Doctor Angelicus, et fuse prosequitur.

ARTICULUS IV.

DE SUBDIACONATU.

65. *Nota I.* Subdiaconi nomen idem significat, ac *Subminister*, cum Diacono subsit, eique inserviat. Unde subdiaconi officium est, vinum et aquam pro altaris ministerio præparare, ministrare diacono, calicem et patenam in usum sacrificii eidem offerre, pallas altaris et corporalia abluere, Epistolam in Missa solemnè legere. Olim etiam ad subdiaconum pertinebat catechumenis tradere rudimenta fidei: apud Græcos vero custodire fores templorum, catechumenos introducere, et educere eos, qui poenitentiam publicam obibant, ut tradit MORINUS.

Nota II. Subdiaconatum esse ordinem sacrum, atque inter eos, qui majores dicuntur, computandum, aperte declarat Tridentina Synodus Sess. 23. cap. 3. et Doctores omnes consentiunt. At duo, quæ difficultatem ingerunt, discutienda restant: primum, utrum subdiaconatus pro ordine sacro semper fuerit in Ecclesia Dei agnitus? alterum, an sit veri nominis sacramentum? Recentiorum complures cum Morino Exercit. 12. cap. 5. contendunt, subdiaconatum per duodecim priora secula in classe minorum ordinum locatum fuisse, inde vero eximi cœpisse, cum eidem solemnè castitatis votum fuit annexum. Pariter, qui inferioribus ordinibus, ii quoque subdiaconatui dignitatem sacramenti denegant, ea scilicet ducti ratione, quod sacerdotio et diaconatu exceptis, ordines reliqui auctorem Christum non habeant.

66. *Dico I.* Verosimilius est Subdiaconatum semper in Ecclesia Dei fuisse ordinem sacrum, quatenus hic spirituales tribuit potestatem, in sacrificio altaris propius inserviendi.

Prob. I. Concilium TRIDENTINUM supra relatum declarat, *uniuscujusque septem ordinum propria ministeria ab ipso Ecclesiæ initio in usu fuisse.* Atqui proprium subdiaconi ministerium est, inservire in sacrificio missæ propius, quam initiati minoribus ordinibus faciunt, contrectare sacra vasa et ad sacrificium deferre, aliaque munia paulo ante commemorata obire, ut vel ex sola subdiaconi ordinatione apparet. Ergo subdiaconatus semper et a sui institutione ordo fuit sacer, in prædicto sensu acceptus.

Prob. II. Idem TRIDENTINUM Sess. 23. c. 2. diserte inquit: *Subdiaconatus ad majores ordines a Patribus et sacris Conciliis refertur.* His autem verbis vetus et universalis exprimi traditio videtur; neque enim recentiores, dum hoc Tridentini pronuntiatum ad posteriorum seculorum Patres et Concilia